

Justus Christoph Schomer

**Programma, Quo Rector Universitatis Rostochiensis, Idemque Facultatis
Theologicae Decanus, Iustus Christophorus Schomerus, ... De Servanda
Orthodoxia In Articulo De Peccato Cives Academicos S. Theologiae Studiosos
Pro Officii Ratione Sedulo Monet**

Rostochi[i]: Praelo Wepplingiano, 1687

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735977658>

Druck Freier  Zugang



PROGRAMMA,
 QVO
 RECTOR
 UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS,
 IDEMQVE FACULTATIS THEOLOGICÆ
 DECANUS,
 JUSTUS CHRISTO-
 PHORUSSCHOMERUS,
 D. ET P. P. CONSISTORII ASSESSOR ET
 SUPERINTENDENS MECKLENBURGENSIS,
 DE
 SERVANDA ORTHODOXIA
 IN ARTICULO
 DE
 PECCATO
 CIVES ACADEMICOS S. THEOLOGICÆ
 STUDIOSES
 PRO OFFICII RATIONE SEDULO MONET.

ROSTOCHI, PRÆLO WEPPLINGIANO,
 UNIVERS. TYPOGR. 1687.

R. U. - Progr. 1687



114
Iohannes Launoius, Parisiensis Do-
ctor, cum propositiones, quæ obelū The-
ologorum merentur, certis quibusdam
notis distinguit, quinque illarum proponit
gradus, quod aliæ sint hæreticæ, aliæ er-
roneæ, aliæ temerariæ, aliæ piarum auri-
um offensivæ, aliæ denique seditiosæ. *Hæ-*
reticam vocat, quæ directè contra fidem
est, *erroneam*, quæ indirectè eam convellit,
temerariam, quæ nec auctoritate nec
ratione certâ nititur, *piarum aurium offensivam* sive *scandalosam*, quæ
quamvis sensum aliquem bonum habere & in certâ modifica-
tione vera esse possit, per se tamen & absolute prolata sensum præ-
se fert pravum, quo pii offenduntur, denique *seditiosam*, quæ divisi-
onem & schisma inducit in populo. Ostendit hæc non omnino inelegans
distinctio, quòd non sola hæresis à rectâ Theologiâ debeat ab-
esse, sed & plures aliæ causæ sint, quare phrasæ vel dogmata quædã
evitare oporteat. Quemadmodum enim medici non lethali-
bus tantum morbis medentur, sed & levioribus: quandoque etiam sano
corpori illa interdiciunt, quæ intemperantiùs hausta febrem paritu-
ra erant, ita & doctores ecclesiæ oportet ubi vel periculum alicujus
morbi aut erroris noxii est, cautè providere, ne quid securiùs im-
bibitum animos infirmiores lædat. Scandalum datur etiam specie
mali, quam nullam pati debet verus Christianismus, 1. *Theff.* 5. 22.
Mullæ quæstiones sunt, quas præstitisset nunquam moveri, sed post-
quam motæ sunt, non perinde est in utram partem decidantur: etiã
quæ servata suo tempore innoxia essent, dum in animos concitatos
incidunt, dum disputationibus aliis adjiciuntur, omnia turbis & fa-
stionibus implent. Multi sunt hodie, qui hypotyposin sanorum
verborum satis egregiè sibi videntur servasse, & in censores stoma-
chabundi invehuntur, cum distinctionem quandam aut limitatio-
nem invenire possunt, quã verbis suis adjectã, sensumque quem an-
tea habuerunt crudum leviter inflectente se tucantur. Coacta ejus-
modi & subdola correctio animum peccantis non mutat, sed com-
modiori tantum occasione servat. Nec sufficit discutere scripta ali-
orum Doctorum, & quæcunque istic reperiri possunt verba ab ora-
tionis serie luxata vel in alium sensum proposita tuæ causæ aptare.
Vetus

Vetus illa hæreticorum praxis fuit, ut quoscunque veterum hæ-
 novitatis notam, & qualicunque alienæ auctoritatis solatio suos er-
 rores commendarent. Non illud esse Theologi officium rati sunt ortho-
 doxi Patres, sed & quæ majoribus incommodius dicta exciderant, in
 optimam partem interpretari, & phrasas, sub quibus hæresis latita-
 re potest, non exornare sed evitare maluerunt. Habet hanc lau-
 dem Facultas Theologica hujus Universitatis, quòd inde à tempo-
 ribus Lutheri receptam ecclesiæ doctrinam sine fuce semper serva-
 verit integram, inter varios obortarum alibi litium fluctus & pacem
 servans ecclesiæ & phrasium damnosam novitatem evitans. Pro-
 pagare hoc in posteros bonum si unquam alii, illi certe enixè labo-
 rarunt, quos intra quadriennium defunctos, immortalis tamen glo-
 riâ apud omnem ecclesiam orthodoxam superstites, luximus, ce-
 leberrima inquam Theologorum triga, VARENIUS, COBABUS,
 SIRICIUS, qui me sibi filium in Christo & collegam quondam
 charissimum reliquerunt. Neq; puto ulli vestrum, Cives Acade-
 mici, de candore, eruditione & orthodoxiâ tantorum virorum du-
 bium esse posse, quin certissimè persuasi sitis, illis & de veritate do-
 ctrinæ Evangelicæ, deque majorum suorum & aliorum Theologo-
 rum consensu quàm optimè constituisse, nec quicquam, quod illi ad-
 versum esset, ab iis admissum, aut quod consonum, rejectum esse.
*Hoc itaq; depositum, quod ab illis traditum accepimus, inter multos ce-
 leses, servare fideliter & aliis tradere, paratus, hortor cum Paulo i. Tim.
 6. 20. ut & vos servetis, evitantes profanas verborum novitates & anti-
 cbeses ejus, quæ falsò sic dicitur, scientia.* Nequa autem vos turbet
 ambigua nonnullarum propositionum commendatio, quæ
 animis oculisq; vestris hodie obversatur, neque dum de peccato
 contenditis, interim illud admittatis, eò periculosiore sapius veri-
 tatis naufragio, quò cæcior oppugnanda falsitatis impetus est, of-
 ficii mei esse ratus sum, quæ de quæstionibus hic occurrentibus
 ecclesiæ orthodoxæ, quæque facultatis nostræ sententia hæctenus
 fuerit, quantum programmatis mensura capere potest, breviter &
 perspicuè docere. Poterant ejusmodi disputationes privatis parietibus
 ita contineri, ne publicum excitarent scandalum, neque postquã vela
 ventis data sunt, & contra leges Academicas publici theatri fortunæ
 causa exposita est, animus est coram totâ Academiâ manûs cum

quoquam conferere, aut pugilis instar clamoris certaminibus aures
& oculos vestros pascere: longè aliter mihi subducta est vivendi &
agendi ratio. Sed quod unicum à me jure vestro poteratis expe-
ctare, vestristantum erroribus occurro, ut quid de ipsâ te credere
oporteat secundum S. Scripturarum & librorum symbolicorum
analogiam, ex nostrâ hac paginâ constet. Postquam Scholastica
commentandi ratio, Philosophiam Aristotelicam cum Theologiâ ita
commiscens, ut neutrâ servaverit integram, multisq; otiosis quæsti-
onibus luxurians, per ecclesiæ reformationem publicè explosa qui-
dè est, pedetentim tamen sub opinione *duplex* iterum per postu-
cum admissa, etiam apud nos quæri cœptum est *de formali & mate-
riali peccati positivo an privativo?* quam Chemnitius in *LL. cap. 4. de
Pecc.* ut alienam disputationem enarrat, alii deinde fecerunt suam:
nos certè cum B. Hopfnero aliis relictam mallems, quàm temerè
aut perperam definiri. Docuerant Theologi superiore seculo
contra Pontificios, & in libris ecclesiæ symbolicis inculcaverant,
peccatum originis non esse meram privationem imaginis divinæ,
sed simul pravâ concupiscentiam, & corruptionem hominis. Lon-
gius abreptus fervore disputationis insignis aliàs vir, Matth. Flacius,
substantialem corruptionem vocavit, sed communibus suffragiis
nostrorum repressus, qui accidentalem tantum, ut par erat, corrup-
tionem docuerunt, *corruptionem* tamen dicere non veriti, nec *no-
santur* pro illâ voce *depravationem* quasi meliorem substituentes.
Hunc docendi & disputandi modum suo tempore primùm carpi
cœpisse à Corn. Martini, quòd peccatum omne formaliter non nisi
rectitudinis inesse debita privatio sit ex Scholasticis doctoribus
disputante, queritur Meisnerus, *quæst. v. q. 4.* Hinc surrexerunt alii,
qui iisdem vestigiis inhaerentes, cum Pontificiis contra receptam ec-
clesiæ nostræ doctrinam Peccatum Originis formaliter solâ doni
supernaturalis carentiâ definiendum esse censuerunt, tandem &
NIHIL esse ausi sunt profiteri. Ita non tantum Pontificiis pecca-
tum Originis pro re admodum leviculâ habentibus, sed tandem
& ipsis Socinianis ac Anabaptistis illud planè negantibus causam pro-
diu aprico est. Posterius tamen ne fieret, distinguebatur inter ni-
hil negativum & privativum, ut hoc, non illud de peccato asserere-
tur; distinctio quidem, ut in Scholis recepta est, satis bonâ, nec à
quoquam nostratum rejectâ, dummodo rectè applicetur. Differt
enim

enim negativum à privativo dupliciratione, quòd hoc dicatur tum respectu certæ formæ, tum respectu subjecti capaxis, illud respectu omnis formæ & omnis subjecti. Ita celeberrimus quondam vir D. Cramerus tò privativum peccati originalis intellexit, quòd non sit $\mu\eta\ \delta\upsilon$ simpliciter, sed $\mu\eta\ \delta\upsilon\ \pi\upsilon\theta$, ut interim tamen maneat positivum, sicut omnis contraria qualitas asserente Philosopho contrarii privatio est, vid. *Calov. harm. Calixt. her. p. 383*. At cum *mera privatio* & merè privativum NIHIL intelligitur, à NIHIL negativo non nisi externâ relatione, seu oppositæ formæ ad subjectum habitudine differt; cum re verâ utrinque dicat realitatis omnium negationē seu absentiam. Ut autem hæc scholastica commentatio de naturâ peccati distingueretur etiam ab errore Pontificiorum, alii recentiores quidã ejus patroni concesserunt, quòd primi disputatores negaverant justitiam originalē primo homini fuisse naturalem, & ita P.O. quamvis formaliter non sit nisi justitiæ ejus privatio, esse tamen doni naturalis & naturam intimè perficientis privationem, & sic maximum homini damnum. Hæc explicatio quamvis non sufficiat ad formalem ejus rationem contra Pontificios determinandam, quam Theologi nostri secundum Scripturas & libros nobis symbolicos non tantum in carentiâ boni & ineptitudine bene agendi, sed & in habituali inclinatione ad pravè agendum posuerunt, melior tamen est illâ alterâ, quâ P. O. cum Pontificiis non nisi supernaturalis doni privatio dicitur, quâ sublatâ humanæ tamen naturæ vires manserint integræ. Sed tunc naturale illud justitiæ originalis donum rectè explicare oportet, non, quòd sine illo hominis actus cognitionis & appetitionis recti & boni non potuisset commode, sed quòd omnino non potuisset exercere, nec illud ut extrinsecum tantum assistens considerare, qualis est causa prima respectu secundæ; ita enim non intimè perfecisset hominem, sed externâ tantum ope ejus actiones juvasset, neq; sublatum vires omnes bene agendi, sed vires tantum commode agendi secum abstulisset: quòd ipsum haud negarent Pontificii. Pugnatum autem est pro sententiâ puræ privationis duplici potissimum ratione (1.) quòd ab ipso Apostolo Johanne, 1. *epi. 3. 4.* peccatum termino privativo describatur, quòd sit *ἀνομία* (2.) quòd Deus causa omnis entis positivi sit, ut sic peccatum, si positivum est formaliter, oporteat vel à Deo auctore provenire, quæ est hæresis Florini & Calvinianorum, vel à Deo independentis esse, quæ est hæresis Manichæorum. Ut hisigitur ob-

A 3

ectio

jectionibus rectè occurreretur, Theologi nostrates sententiam suam ita explicuerunt, quòd primùm alia sit quæstio de Peccato vel malo *in genere sive universalis*, cum simpliciter supponitur, ut peccatū est, & alia *de quavis specie* peccati, aut de omni peccato in suppositione, quæ dicitur, personali, quā nempe concludatur de peccato originali, aut quovis actuali, blasphemia, adulterio, furto &c. ita ut priore non posteriore sensu peccati formale, seu id per quod peccatum in esse generico peccati constituitur, privationem, imò & meram privationem (pro vocis hujus variâ explicatione, de quâ infra) rectitudinis esse concedant. Et in eo sensu loquuntur ac intelligendi sunt omnes Theologi orthodoxi, qui de formali peccatitantiū privativo loquuntur, etiam cum de peccato originis idem dicunt, quòd velint illud quā peccatum, non quā in specie tale peccatum est, formam privativam habere. At cum de peccato originis specialiter (& sic de peccatis quibusvis actualibus) quærunt, non omnino idem admittunt, sed ejus formale partim privativum partim positivum esse constanter & seriò defendunt: quam differentiam licebit vel ex compendio illo, quod manibus omnes terimus, *B. D. Königi Theologia Positiva part. 2. §. 49. §. 87.* addiscere. Itaq; sicum fieri & sophisticè statū quæstionis immutari ait Calovius *Harm. Cal. bar. p. 369. §. 392. seq.* (ad quod viri scriptū propterea lubentiùs provoco, quòd non tantum tota quæstio istuc latè exequiatur, sed & ad illud præcipuè attendere eos oporteat, qui disputatione inaugurali, tanquam præscriptā quondam publicā revocationis formulā jure jurando confirmatā, istuc remittuntur) si ab eo, quod de peccato in genere dicitur, ad peccatum originis aut quamvis aliam peccati speciem in hac quæstione profiliatur, formam scil. genericam cum specificā miserè confundendo. Deinde distinguunt Theologi inter privativum seu *privationem simpliciter dictam*, & privationem meram seu *exclusivè dictam*, quòd peccatum in genere sit quidem privatio quædam rectitudinis, seu defectus vel discordantia à lege, ut apud Johannem describitur, non tamen ita ut omnem excludat contrariam formam, cum ἀνομία non tantum incurrat omissione seu privatione, sed & commissionem contrarii, *vid. Meisn. l. c. §. 41. & Dn. D. Quenstedt part. 2. Syst. p. 137.* Sunt quidem Theologi, qui de peccato sic generaliter considerato dicunt, quòd sit mera privatio, verum eo sensu, quòd privativa legi oppositio sufficiat ad notionem peccati formandam, nec plus ad eam requiratur, non verò quòd alia oppo

oppositio omnis excludatur, & sicut omnis specifica differentia generi accidentalis est, ita per accidens & materialiter ⁷⁰ positivum de peccato hinc in genere considerato dici ajunt. Distinguunt porro Theologi nostri inter *positivū Metaphysicum & ethicū*, pro quā tamen distinctione B. VARENIUS noster maluit distinguere inter positivū *Metaphysicum & Logicum* eodē sensu (ita ut ejus auctoritate se tueri nequeant, qui aequaliter utramq; distinctionē oppugnant) ut si quaeratur de peccato originis, & sic quocunque actuali commissionis peccato, illud dicatur formaliter etiā positivū quid esse eo sensu, quo in ethicā vitia ut positivā qualitates contrariē opponuntur virtutibus, aut in Physicā vel medicinā morbi bonae valetudini. Hoc sensu quoque *malitiam positivam* ex scholasticis laudatam disputatione inaugurali defendit, qui ad illud nomen nunc tanquam ad caput Medusae exhorrescit. Metaphysica quidem creditur de ente positivo in actu signato & propriā sede agere, ita ut nonnullis, qui ultra sctam Theologorum phrasin sapere sibi videntur, positivum non metaphysicum videatur quasi absurdum & contradictorium. Sed ut id admodum durum imperiū fore respondet Meisnerus, si quod omnibus aliis disciplinis licet, Theologiae non liceat, terminos sibi pro usu suo statuere, ita neq; simpliciter verum est, quod putant illi, omne positivum ad metaphysicam dijudicationem tanquam propriam sedem pertinere. Nam si per ens metaphysicum intelligitur, quod Aristoteles stricto & proprio sensu ens vocavit, n. p. quod per se existit, aut peculiarem sibi substantialem formam habet, Manichaeum est tale quid de peccato cogitare, & Theologi eo praecipue respectu illud ens metaphysicum esse negant, *vid. Meisn. §. 31. Calov. §. 12.* Quia tamen metaphysici à Gerhardo & aliis subtiliter distinguere dicuntur inter rem & malum rei adjacens, quorum illud positivum hoc privativum sit, & propterea Theologi protestantur, se non secundum rigorem & *ἀκριβειαν* metaphysicam τὸ positivum accipere, videntur aliis concedere, quod accuratius loquantur, qui ad rigorem illum & subtilitatem attendere malunt, atque in concupiscentiā peccati originalis & vitioso quovis actu peccati actualis distinguere non tantum inter naturalem potentiam & accedentem potentiae vel habitualem propensionem vel actualem motum ad malum, sed & haec iterum in propensionem aut motum praecisā malitiā spectatum, qui sint metaphysicē boni, moraliter in-

diffe

differentes, & in vitiositate illis adhaerentem, quae sit mera privatio & mala. Sed hic observandum est primò illos, qui hanc analysin instituunt positivi ethici, quod Theologis forma peccati originalis aut actualis alicujus delicti est, eo ipso agnoscere, quòd illa positivitas ethica ad metaphysicam reduci possit, & contra se ipsos paratragœdiari, cum aliis eo nomine dicam scribunt. Deinde Theologos, qui de ἀρεσθία metaphysica loquuntur, de ἀρεσθία præcisionis, non partitionis aut realis distinctionis loqui, n.p. quòd metaphysici, cum classes rerum formant, ea quae duplicem notionem habent, ut sunt positiva talia ethica, inde soleant excludere, aut distinctis conceptibus proponere, non autem quòd actus vel habitus tales à vitiositate realiter distingui possint, ut relinquuntur ethice indifferentes. Concupiscentia vitiosa originalis peccati, quae in locum justitiae originalis successit, (& sic actus v.g. blasphemantis) ita totaliter mala est & ab aeterna lege devia, ut non magis à vitiositate possit separari, quàm curvitas linearum ab inaequalitate. *vid. iterum verba B. Meisneri latè à D. Calovio l. c. p. 407, seqq. adducta.* Hinc tandem distinguunt etiam Theologi inter *entia creata*, quae sunt metaphysica, cum omne ens metaphysicum dicitur bonum, & *introducenda*, quae sunt ethica illa, de quibus actum est. Frustra oppugnatur hæc distinctio inde, quòd & introductio actio quaedam sit, quae independenter à Deo fieri nequeat. Neque enim independenter à Deo unquam agere dicitur causa secunda, quae in esse & operari semper ab ipso conservatur. Verum generalis concursus Dei actionem nullam in esse specifico constituit: id ad libertatem hominis pertinet, quòd possit se ipsum, non quidem ad novas formas vel species rerum producendas, tamen ad motus & accidentales, naturae legibus possibiles, formas hic & nunc, etià ubi & quomodo per legem Dei non oportuit, determinare. *Conf. Gramerius apud Meisn. p. 88.* Accidentia non dicuntur creata, sed concreata, quòd substantiis vel actu vel potentia per creationem indita sint, ut variari per motus creaturarum possint: modi autem illa variandi plures pendent ab arbitrio hominis liberè agentis, nec quicumque ab homine introducuntur, ut tales, debent Deo auctori adscribi ob generalem, quem ille præstat, concursum, nisi in eandem hæresin velis incidere, quae Theologis ob orthodoxam thesin perperam affrisatur. Nam si Deus determinare omnis concupiscentiae & actus positi-

positivi, v. g. blasphemiae, furti &c. auctor esset, necessario etiam vitii & defectus contra legem auctor, dici deberet, cujus nulla alia causa dari potest, quam quae actus nostri determinati; sicut qui curvam lineam facit, idem facit inaequalem rectae, & qui in locum certum objecti sclopeto orbis globum torquet, idem omnis defectus & aberrationis a centro, quae in eo loco est, causa existit. Denique distinguunt nostri Theologi inter *formale totale & parziale*; illud totam rei quidditatem dicit, hoc notionem tantum differentialem. Totale communiter exprimi solet cum quaeritur, quid sit peccatum originis *formaliter* i.e. quidditative & in casu recto; idemque est plerumque *P. O. formaliter* sumtum & *abstracte* sumtum; & contra, *materialiter* & *concrete* cum suo subjecto aut animi potentia, cui inest, sumtum, etiam eodem sensu dicitur solet. Differt autem haec phrasidis de peccato originali, ab altera, quam *peccatum in abstracto* sumtum, idem est quod in notione universali acceptum, & *in concreto* sumtum idem ac quod in actibus suis specificis spectatur. Quarum phrasium confusio multam in re ipsa confusionem tyronibus parit. Ita igitur dicimus, *P. O. formaliter* & *abstracte* sumtum esse non tantum privativum sed & positivum, & formale ejus specificum, quo in esse peccati originalis ponitur, describi partim privative, *sine metu Dei, sine fiducia esse*, partim positive, *& cum concupiscentia esse*; formale vero parziale & genericum, quo idem in esse peccati simpliciter constituitur, tantum privativum esse. Atque ita Augustana Confessio *art. 2.* describens peccatum originis, concupiscentiam non retulit ad materiale, sed ad ipsum formale ejus, ut ex verbis planissimis Apologiae *p. 55. & 59.* late probat D. Calovius *l. c.* & in ipsa, quam dissentienti praescripsit quondam, inaugurali disputatione. Omnino enim absolum est, *dispositionem inordinatam*, ut alicubi scriptum extat, vel etiam *perpetuam naturam inclinationem*, quae certe non abstractiva aut ut universale aliquid genus in homine, sed in certa partem inclinatio est, a pravitate sua velle eximere, ut materiale tantum peccati originalis sit, idque ethice indifferens: quasi inclinatio congenita diversum aliquid sit ab aversione a recto. Ceterum sententiam hanc de positivo tali concupiscentiae originalis malo hausit ecclesia nostra ex purissimo fonte S. literarum, quae & terminis positivis illud describit, & effectus illi positivos tum phylicos tum morales tribuit. Non enim tantum deficit a Spiritu Dei, sed & est adversus Spiritum,

B


Gal. 5.

Gal. 5, 17. est inimicitia adversus Deum *Rom. 8, 7.* inescat *Jac. 1, 14.* undiq; circumstat, *Hebr. 12. 1.* captivat, legem figit *Rom. 7, 23.* fingit mera mala *Gen. 8. 21.* producit varios actus atque motus vitiorum, *Gal. 5. 19. seqq.* denique mortem operatur, *Rom. 7, 11. 13.* Quis nisi quem subtilitates scholasticæ extra se posuerunt, dixerit formaliter meram privationem esse, unde hi effectus promanant, aut hos etiam effectus, rebellionem, inimicitiam, adulteria, stupra, idololatriam &c. meras privationes esse formaliter, & tandem privativum NIHIL? Addo, si fur punitur non propter solam privationem, sed etiam propter actum positivum, quod concedi video, an etiam propter rem ethicè indifferentem punitur? sin minus, utique actus furandi totus malus esse agnoscitur. Itaq; vos hortor, Cives Academicæ, qui Theologiæ mysteria addiscitis, cavete vobis ab ejusmodi matæologiâ, & eam servate sanam verborum formam, quam omnes tenent ecclesiæ Doctores orthodoxi, etiam illi, quos aliena nobis larva pingit, ad quorum consensum rectius provocant longo ordine *ll. cc. Meisnerus §. 18. & Calovius p. 454.* Ipse Chemnitius, cum ex suo sensu loquitur *l. c. sub fin. cap. 4.* etiam conceptis verbis *morbo s. animi peccati originis formale* appellat, eamque rectissimam vocat explicationem: neq; Lipsienses Theologi, qui in Consensum Reperitum consenserunt, contra punctum ejus XXIV. vel docuisse vel sensisse possunt. Descendit autem (ut ad aliâs tandem quæstiones progrediamur) peccatum originis à primo Adami peccato, naturali quâdam necessitate derivationis, quia omnes in illo ut virtualiter extitimus, ita etiam peccavimus. Solent quidem Theologi contra eos, qui se jure putant suo protoplastis succensere, quod in hanc miseriam illorum culpâ omne genus humanum deductum sit, casum proponere, quod si nos omnes in pari conditione cum ipsis fuissetis constituti, procul dubio idem omnino commisissetis, quod illi: addunt etiam quandoqve, Deum id satis prævidisse: sed hæc quamvis concurrens aliqua ratio æquitatis dici possit, quare nos rectè culpam illorum luamus, vera tamen causa derivati in nos peccati non est, & malè confunditur cum virtuali peccati Adami tici admissione, quæ longè aliud quid est, & realem physicum nostri cum Adamo nexum, qualis fructus est in radice etiamnum latitantis, non moralem & interpretativum tantum involvit. Si Deus ex scientiâ tali, quæ dici solet, mediâ homines damnaret, frustra depreca-

precaremur tentationes, quibus perituri eramus, neq; ad propagationem peccati originis carnalis generatio requireretur, sed ipsum potius principaliter unice à Deo puniente descenderet; quod dicere impium & ἀθεόλογον est. *Conf. Hulfem. brev. cap. 5. §. 6. 7. & suppl. ib. §. 6.* Effectus autem peccati originalis proximi sunt *prævi motus* à concupiscentiâ orti, qui quatenus subito sine attentione aut delectatione oboriuntur, dicuntur *primo-primi*, ut distinguantur à secundo-primis, qui attentione jam aut delectatione aliquâ foventur. Primo-primos illos motus ad ipsum peccatum originale retulit Chemnitius, & cum ipso alii quidam præcipuè superioris seculi Theologi, ut illud non otiosum aliquem in homine habitum esse, sed operosissimum, unde mali fructus perpetuâ quâdam emanatione fluunt, contra Pontificios docerent: Sed nunquam eò retulerunt quasi ad formam aut quidditatem ejus pertinentes, sed ut effectus & signa, judice *B. Carpzov. Usq. p. 156.* Strictè enim & propriè loquendo motus illi actiones sunt inter actualia peccata numerandæ, quod nec à Chemnitii mente alienum esse monet *Gerb. L. de Pecc. Act. §. 35.* Cum igitur de verâ & genuinâ æstimatione horum motuum quæritur, non debent pro ipso peccato originali aut ejus parte haberi; si autem id fiat, malè, & contra communem Theologorum sententiam fieri, rectè dicitur, quia non debemus ἀνευ λόγου darâ operâ sequi, aut quod certo respectu ab aliis dictum est, absolutè proferre. Augustana confessio, ut docet *Apologia p. 51.* nomine concupiscentiæ non intellexit tantum actus seu fructus, sed perpetuam naturæ inclinationem (quod omnibus constat) quia non tantum actualia peccata hominum in illo articulo agnoscere voluit, ceu calumniabantur Pontificii quidam censores, sed habituale & originale. Interim neq; actus seu fructus illos directò sub nomine concupiscentiæ originalis intellexit, sed indirectè & per quandam consequentiâ tantum complexa est, dum illi ita perpetuò à radice seu fomite suo emanant, ut propterea etiâ ipsos *infantes peccatis actualibus pollutos esse*, constans ecclesiæ nostræ sit sententia. Theologi quidem cum *P. O. ex locis S. Scripturæ* probant, in quibus & infantes peccatum habere innuitur, negant de peccatis actualibus illa intelligi posse, quæ in parvulos illos non cadant; sed eò sensu, quem talis disputatio suggerit, quòd sublata peccati originalis hypothesi nec peccata actualia in illis locum habeant, quibus nullum adhuc propriæ voluntatis propositum est. At cum illa

Illa quæstio in thesi citra talem disputationem proponitur, non illa negatur, sed af-
 firmatur ab omnibus orthodoxis, ut docent systemata Theologica passim. Neq;
 quamvis illa, quæ in infantes cadunt, minùs stricto sensu peccata actualia dican-
 tur, quàm quæ in adultos, propterea desinunt vera actualia peccata esse: neque
 illa strictior significatio hodie famosior est in scholis Theologicis, ut liceat pro-
 pterea affirmare, omne peccatum actuale esse voluntarium. Verum est, in S. lite-
 ris quandoque nomine peccati καὶ ἑξοχῆ & quasi famosiore sensu intelligi pec-
 catum mortale aut ex plenâ deliberatione ortum, ut Jac. 1, 15. 1. Joh. 3, 9. quo sensu
 etiam peccatores dicuntur Luc. 15, 1. 7. cap. 7, 37. quomodo & Augustinum, qui om-
 ne cuiusque proprium seu actuale peccatum concesserat esse voluntarium, ex-
 plicat Meisnerus *disp. 3. anthropol. q. 2. §. 9.* Sed ut hodie in Scholis voce peccati
 actualis utimur, non possumus dicere eum sensum famosiorē esse, quo actualia &
 voluntaria peccata æq; latè patere intelliguntur. In ipsâ quidē voce voluntarii etiã
 varii sensus distingui debent, dummodo recta & plena fiat distinctio. Aliud est vo-
 luntarium *subiectivè*, quod in voluntate est vel virtuali vel formali, quod de omni
 omnino peccato dici potest, aliud voluntarium *efficienter*, quod à voluntate est, &
 hoc iterum vel ex ignorantia aut subitâ obreptione ortū, vel quod ex certâ scien-
 tia certiq; animi proposito provenit. Hoc posteriore sensu accipitur in famosio-
 re significatione, cum an omne peccatum actuale voluntarium sit, quaeritur, &
 contra Pontificios negatur. Hanc sanam verborum formam servare oportet, quâ
 Theologiam docent, & hanc quæstionem sine addito determinant, non ambigui-
 tate vocis ludere, ut id proferant, quod hæreticum sensum gignit audientibus, mul-
 to minùs dicendum, quòd *omne peccatum actuale sit in nostrâ potestate, ut liberè
 possit omitti.* Illud autem quod sic dicitur voluntarium peccatum, tanquam spe-
 cies quædam peccati actualis, in ordine ad iudicium intellectus distinguitur in id
 quod est contra conscientiam rectam, aut erroneam, probabilem, dubiam, in ordi-
 ne verò ad propositum voluntatis, in id quod ex voluntate planè liberâ, & sic merâ
 malitiâ oritur, & id quod ex voluntate vi metuve inclinata. *Sid. vel D. Königii Th.
 Pos. part. 2. §. 115-129.* Ita igitur (1.) à plenâ malitiâ aut voluntario strictissimè di-
 cto non excusantur illa peccata, quæ à vehementiore quâvis passione, concupi-
 scentiæ carnis, oculorum & superbiâ vitæ (ut aliquando audita vox horrida est) pro-
 ficiscuntur, sicut illa quæ à metu proveniunt, nec (2.) confundi debent quæ ex subitâ
 obreptione, & quæ à deliberatione voluntatis vi metuq; inclinata procedunt,
 cum hæc excusantur Sp. S. gratiam, non illa, Theologis celeberrimis, qui scandalosâ
 huiusmodi phrasenotarunt quondam, ignorantiam aut malam mentem objicere,
 non esteorum, qui *pacem* aut *veritatem* amant, sed qui turbare omnia, & sub specie
 recti Academiam litibus, Theologiam vanis erroribus permiscere student. Su-
 pra calumniam posita est tantorum virorum memoria, nec timemus leonum
 etiam mortuorum gloriæ à minorum animantium dente. Vos autem, Cives Acade-
 mici, qui veræ Theologiæ principiis imbuimini, quibus veritatis cœlestis amor, in
 præceptores quondam & huius Univesitatis immortalia nomina pietas animis fixa
 hæret, servate fidem, quam ab illis traditam habemus verbo Dei conformem, nec
 arundinis instar cuius alienæ doctrinæ vento flexiles cedite, Deus pacis omnibus
 nobis, ut ad unâ spem vocatis, ita unam quoq; mentem largiatur, ut in pace, quæ
 veritate nititur, ipsi serviamus! P. P. Sub Sigillo Facul. Theol. Dom. St. Trinit. 1687.

precaremur tentationes, quibus perituri era-
tionem peccati originis carnalis generatio r
potius principaliter unice à Deo puniente de
re impium & ἀθεόλογον est. *Conf. Hulsem. l*
suppl. ib. s. 6. Effectus autem peccati origin
vi motus à concupiscentiâ orti, qui quatenus
ne aut delectatione oboriuntur, dicuntur
quantur à secundo-primis, qui attentione ja
quâ foventur. Primo-primos illos motus a
ginale retulit Chemnitius, & cum ipso alii qu
oris seculi Theologi, ut illud non otiosum a
bitum esse, sed operosissimum, unde mali
dam emanatione fluunt, contra Pontificios
quam eò retulerunt quasi ad formam aut
nentes, sed ut effectus & signa, iudice *B. Carp*
enim & propriè loquendo motus illi actio
peccata numerandæ, quod nec à Chemnit
monet *Gerb. L. de Pecc. Act. s. 35.* Cum igitur d
matione horum motuum quæritur, non de
originali aut ejus parte haberi; si autem id fia
munem Theologorum sententiam fieri, r
debemus ἀνευλόγιος datâ operâ sequi, aut
aliis dictum est, absolutè proferre. August
Apologia p. 51. nomine concupiscentiæ non
seu fructus, sed perpetuam naturæ inclinatio
constat) quia non tantum actualia peccata h
lo agnoscere voluit, ceu calumniabantur P
res, sed habituale & originale. Interim nec
directò sub nomine concupiscentiæ original
tè & per quandam consequentiam tantum com
petuò à radice seu fomite suo emanant, ut propter
eatis actualibus pollutos esse, constans ecclesiæ no
gi quidem cum P. O. ex locis S. Scripturæ probant,
catum habere innuitur, negant de peccatis actuali
in parvulos illos non cadant; sed eò sensu, quem
quòd sublata peccati originalis hypothesi nec pecc
habeant, quibus nullum adhuc propriæ voluntati



propaga-
ed ipsum
od dice-
s. 6. 7. &
sunt pra
attentio-
ut disti
tione ali
itum ori
è superi
mine ha
etuâ quâ
Sed nun-
jus perti-
Strictè
actualia
um esse
inâ asti-
peccato
trâ com-
quia non
spectu ab
ut docet
um actus
omnibus
o articu-
m censo-
ctus illos
d indire-
lli ita per-
antes pec-
a. Theolo-
antes pec-
posse, quæ
s suggerit,
lis locum
At cum
illa